

§ 141. Quodsi aput Athenienses homines Graecos.

. . . Inlustrat vigorem animi virtutisque Romanae omnes periculorum incursus neglegentis; facta tamen commemoratione per differentiam virorum inlustrum, qui aput Athenienses extiterunt, quibus sine dubio strenuiores 5 dicit Romanos esse debere. Intulit igitur commemorationem primo Themistocli: qui primum bello Corcyraeo praetor factus ex pecunia publica centum navium classem faciendam esse persuasit et Corcyraeos cum praedonibus vicit. Cumque mille et ducentas naves longas et duo millia 10 onerariarum et septingenta millia peditum et equitum quadringenta Xerxes in Graeciam induxisset [et], ex responso Apollinis, quo praedictum erat, ut se Athenienses ligneo muro tuerentur, idem Themistocles oraculum explanavit ad praesidium navium pertinere, ut in eas confugerent et 15 partim Salaminam partim Troezenam peterent, maiores